

Universitätsbibliothek Wuppertal

Scriptores de orthographia

Keil, Heinrich

Lipsiae, 1880

Fragmenta Bobiensia

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2014](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2014)

Ex codice Vindobonensi 16 olim Bobiensi octavo vel nono saeculo scripto in analectis grammaticis Vindobonensibus edita sunt fragmenta de accentibus p. 142, de litteris cum definitione partium artis grammaticae, cui Sergii nomen praescriptum est p. 197, de nominibus cum excerptis argumenti grammatici p. 205 sqq., de propriis nominibus p. 212. quae fragmenta in codice variis locis distributa leguntur, f. 47 de propriis nominibus: f. 49 de accentibus ante excerpta de metris gramm. lat. v. VI p. 617 : f. 55 de partibus artis grammaticae et de litteris ante excerpta Victorini gramm. lat. v. VI p. XIX, anal. Vindob. praef. p. X : f. 156 de nominibus, cui parti deinde in altera eiusdem membranae pagina f. 156* et in ea quae cum hac cohaeret f. 159 interpretationes quaedam vel glossae vocabulorum maximam partem ad Vergilium, Horatium, Lucanum, Iuvenalem, paucae etiam ad Sallustium pertinentes subiectae sunt, cf. anal. Vindob. praef. p. XI, Endlicher cod. lat. bibl. Vind. p. 222. ex his autem ea quae ultimo loco commemoravi, propterea quod ad interpretationem potius veterum scriptorum quam ad grammaticam artem spectant, a ratione quidem huius operis aliena erant. sed quoniam haec quoque ab editoribus superiori parti tamquam excerpta argumenti grammatici continuata erant neque in scholia poetarum, quae nunc habemus, recepta sunt, non putavi ea omittenda esse, praesertim cum non nulla, quae memoria haud indigna sunt, in iis inveniuntur. versus poetarum, ad quos adnotationes adscriptae erant, maxima ex parte diligentia Vindobonensium editorum indicati erant; paucos ipse addidi. lectiones codicis Bobiensis ex Vindobonensi editione repetivi.

INCIPIT DE ARTE GRAMMATICA SERGII

p. 197 ed. Vind.

Ars grammatica institutio sermonis periti. haec his rebus continetur, litteris, syllabis, accentibus, pedibus, VIII partibus orationis, anomalis, vitiis, figuris, clausulis, metris, etymologia, orthographia, expositione

B codex Bobiensis, nunc Vindobonensis 16

v editio Vindobonensis

3 anomalis v anomali. us (h. e. anomalibus) *B. fortasse anomaliis vel vitiis*

4 clasulis *B*

p. 197. 198 V.

historicorum et poetarum. de quibus titulis hac moderatione tractabo, ut superflua despiciens, necessaria breviter exponens, nec fraudem studiosi faciam nec fastidium delicatis.

DE LITTERA

Littera dicta quasi legitera, eo quod legentibus iter praestet. ea est 5
vocalis articulata pars minima. vox autem dicitur articulata quae scribi
potest, confusa quae scribi non potest. litterae accidunt III, nomen figura
potestas. nomen est quo vocatur, figura qua scribitur, potestas qua quid
possit apparet. litterarum nomina declinationibus carent neutrique sunt
generis, unde Cicero in Verrinis 'usque ad alterum r'. litterae omnes 10
aut vocales dicuntur aut consonantes. vocales sunt quae et sonis singu-
laribus constant et solae syllabas faciunt, sine quibus nulla syllaba pro-
creatur. sunt autem numero V, a e i o u. quae licet omnes dichronae
sint, id est et produci et corripri possint, tamen a i u in utroque tempore
similem possident sonum, ut acer amor itur iter unus ubi. e vero et o 15
dupliciter proferuntur: nam cum corripitur e, pro ε graeco est, ut ego;
cum producitur, pro η, ut Leda: itemque o cum corripitur, pro ο graeco
est, ut polus; cum producitur, pro ω, ut Roma. praeterea i et u tran-
seunt in consonantium potestatem, cum primae in syllabis positae vel ipsae
inter se cohaerent, ut Iuno vita, vel aliis vocalibus copulantur, ut Ianus 20
Venus. sed u cum est consonans, digammae, aeolicae litterae, fungitur
sono, ut Venus. | sed u cum inter q et quaecumque aliam vocalem
ponitur, pro nihilo est, ut quoniam: nam non potest esse consonans, quia
non est prior, et prohibetur esse vocalis a sequente vocali. sane i inter
duas vocales posita in una parte orationis, si consonans fiet, duplicis loco 25
fungitur, ut Troia.

Consonae sunt quae sono naturae suae vocalibus miscentur: non ut
liberae sonant, sed ut obnixae consonant, nec umquam solae syllabas
faciunt, quamvis velut syllabae proferantur. hae vero bifariam divi-
duntur: aut enim semivocales dicuntur aut mutae. semivocales sunt quae 30
detracta vocali a qua inchoant dimidium sonant. sunt autem numero VII,
f l m n r s x. sed x duarum consonantium fungitur loco, ut nix. s ali-
quando sibilus, non littera iudicatur, ut 'ponite spes sibi quisque'.
l m n r liquidae vocantur, quia in metro saepe deficiunt: l, ut 'neve

2 despiciens v dispiciens B 6 minitae corr. minima B 7 accedunt B

10 Cicero in Verrinis] cf. Pompei. p. 111, 11 12 syllabam corr. — bas B

21 degammae B digamma v 22 loco corr. sono B 28 fortasse adnexae

29 haec uero B 31 dimedium B 33 ponite] Verg. Aen. XI 309 34

neve] Verg. georg. II 299

p. 198. 142 V.

flagella', m, ut 'distincta smaragdo', n, ut 'nuda Lacaena cygno',
r, ut 'ne desere frater'. mutae sunt quae detracta vocali in quam
desinunt penitus non sonant. sunt autem numero VIII, b c d g h k p q t.
ex his c, si collidatur, etiam sola longam syllabam facit, ut 'hoc erat
5 alma parens'. k nisi in paucis iam non utimur, ut in kalendis. q tunc
praeponimus, cum sequitur u et alia quaecumque vocalis, ut quidam; si
non sequatur, c antefertur, ut currit. h raro in versu pro littera ponitur,
ut 'terga fatigamus hasta'; crebro aspirationis est nota, ut 'quisquis
honos tumuli'.

10 Y et z graecae sunt litterae propter nomina suae gentis admissae,
quarum y vocalis est, z consonans duplex.

Antiqui XVII litteras solas habebant. h k q x y z, quod neque
vocales essent neque ab e inchoarent, ut semivocales, neque in e desi-
nerent, ut mutae, tenax artis vetustas respuit, sed inlecebra suavitatis
15 admisit.

DE ACCENTIBVS

p. 142 ed. Vind.

Accentus Graeci prosodian appellant. triplex autem est: aut enim
acutus est, quem oxian dicunt, aut gravis, quem barian, aut circumflexus,
quem perispomenon. omnia igitur nomina sive verba sive quae alia pars
20 orationis fuerit, hanc rationem enuntiationis recipient. monosyllaba aliquid
significantia, si fuerint natura longa, id est produci potuerint, circumflexa
voce efferuntur, ut spēs flōs mōs rōs; si positione longa fuerint aut certe
brevia, acuta voce pronuntiabuntur, ut [non] nēc quis quid hic nūx. in
disyllabis autem, si prima [loco] producta fuerit syllaba, habebit in se
25 circumflexum accentum, ut Rōma rhētor brūma vita prima. si vero prima
syllaba positione longa fuerit aut brevis, acutum tonum in prima reperies,
ut cānto cōndo cūrro sālto pinna sēcta. sed ne opponi nobis a nimium

1 distincta] *Lucan. Phars. X 121* zmaragdo corr. smaragdo B
nuda] *Martial. epigr. IX 103,2* lacena cigno B 2 ne] *Verg. Aen. X 600*
3 autem om. Bv g om. B, add. v 4 collidatur editor *Vindobonensis*,
elidatur B: cf. *Pompeii. p. 119,14* longuam B hoc] *Verg. Aen. II 664*
8 terga] *Verg. Aen. IX 610* quisquis] *Verg. Aen. X 493* 10 admissae v
admissa B 11 quarum i uocalis B 13 inchoassent Bv

22 spēs] notas accentuum in codice omissas et hic et in reliquis vocabulis
addidi mōs] mox corr. mos B 23 ut non nec quis quid hic nux v ut
nec
non quis quia hic nux B 24 primo loco v. fortasse prima naturaliter producta
25 accentum v accinctum B ut om. B v vita] ita Bv ima *Schoellius de*
accentu ling. lat. p. 111 27 animum diligentioribus B a nimium diligentibus v

p. 142. 212. 205 V.

diligentioribus illa possint, quae acuta syllaba novissima efferuntur, ut cochlis Dryās Thyās, illud est respondendum, omnia verba peregrina secundum suam positionem, quomodo lecta sunt, ita enuntiari debere. nam cum in nostram consuetudinem transeunt, rationi nostrae quoque * ceterum nullum est verbum sive disyllabum sive trium pluriumve syllabarum quod novissima syllaba acute enuntietur. super istud de trisyllabis dicamus, in quibus haec erit observatio: si media syllaba positione longa fuerit, acuto tono enuntiabitur, ut Metellus cancelli lanistae fenestrae. explicit de accentibus.

DE PROPRIIS NOMINIBVS

10

p. 212 ed. Vind.

Praenomen quod nomini praeponitur, ut Publius: nomen est commune familiae, ut Cornelius: cognomen est quod est proprium, ut Scipio: agnomen est quod extrinsecus venit, ut Africanus a virtute, aut ex vitio, ut Fabius Gurges, Ovidius Naso. praenomen et agnomen ambiguum est: nomen gentis est; idcirco servi non habent nomina. nomina dicuntur 15 quae sunt communia familiae, ut Cornelius a Cornelia familia, quia Cornelii toti appellati; et modo in usu non est, et nomen putamus quod est proprium, quod fuit ante commune familiae, unde Vergilius 'nomine avum referens.' cognomen est quod est proprium unius cuiusque.

DE NOMINE

20

p. 205 ed. Vind.

Omnis genitivus is syllaba terminatus accusativum pluralem es syllaba terminatum facit. omnia nomina a terminata, si latina fuerint, genitivum ae faciunt, si graeca, tis. omnia nomina graeca o terminata et nis et us genitivum singularem faciunt, ut Dido Didus et Didonis. omnia nomina monosyllaba genitivum singularem is faciunt, exceptis septem, tribus 25 declinabilibus, res spes vir, quattuor indeclinabilibus, fas ir git pus. omnia nomina ser terminata, si ex se aliud genus fecerint, ri faciunt

1 novissima] in nouissimo B* ut Cyclas Dryas Thyas v et coelis drias thia B 3 fortasse secundum suam positionem quando lecta sunt 4 transeunt Schoellius p. 206, transeant B v rationi nostrae quoque inserviant necesse est 'in cod. omitta utcumque supplevimus' editor Vindobonensis

10 DE PROPRIIS NOMINIBVS om. B 18 nomine] Verg. Aen. XII 348 19 unius cuiusque] sequuntur notae nominum a Mommsenio gramm. lat. v. IV p. 268 editae

20 DE NOMINE om. B 26 quattuor indeclinabilibus fas ir om. B: et quattuor indeclinabilibus git pus fas ir editor Vindobonensis

p. 205. 206 V.

genetivum, ut miser miseri; si non fecerint, is, *ut* anser anseris, passer passeris. omnis nominativus es correpta terminatus, sive pura sive aliqua consonante anteposita et iuncta, genetivum singularem tis faciat necesse est, ut miles militis. omnis nominativus es producta terminatus pura
 5 genetivum singularem ei faciat necesse est, *e* tamen producta, ut dies diei, *series* seriei, et siqua talia, exceptis duobus, ut haec lues huius luis et haec quies huius quietis. es vero producta terminatus nominativus habens iunctam consonantem genetivum is facit, *ut* hic Hercules huius Herculis, haec nubes huius nubis.

10 Con syllaba tunc producitur, quando post illam *f* aut *s* sequitur, ut confusus constans; siquae vero alterae consonantes fuerint subsecutae, corripitur. *er* syllaba terminatus accusativus singularis nullius alterius generis reperitur nisi neutri solum. omnis nominativus singularis *er* syllaba terminatus, si graecus fuerit, producitur; si latinus, corripitur. |

15 Omnia nomina us terminata i ante us habentia in genetivo i duplicant, in vocativo vero, si propria fuerint, i faciunt, ut Vergilius o Vergili, Terentius o Terenti; si autem appellativa, e correpta faciunt, ut hic egregius o egregie, excepto generis neutri comparativo, quod secundum rationem us terminatorum ris facit genetivo, vocativo us simili nominativo. omnia
 20 nomina us syllaba terminata facientia adverbia e producto faciunt, ut summus summe, primus prime, egregius egregie; exceptis tribus, quae e correpto faciunt contra rationem, ut bonus bene, malus male, ritus rite; excepto uno quod o facit, non e, ut falsus falso, ut Sallustius 'falso queritur de natura sua genus humanum', et rarus raro, ut est
 25 'hic raro in urbem com meat', quod Terentium dixisse est notum.

Fortunam, eventum teli (*Verg. A. X 422*). Haec compago latinum non est, sed haec compages, et ab eo quod est *compages* compagibus facit, a compago compaginibus facit, quod nemo dixit (*Verg. A. I 122*). Luere, absolvi pecunia apud antiquos, quoniam pecunia damnabantur (*ib.*
 30 136). Participium praesentis temporis a passivo Romani non habent ideoque participio utuntur praeterito. Omnia nomina des exeuntia aut propria sunt, ut Thucydides, aut patronymica, ut Tydides: nam nullum nomen a patria exit in des, quoniam dubitant in illo quod dixit Vergilius (*A. II 342*) Mygdonides, unde alii dicunt a patria; sed errant, nam Mygdonius

1 fecerit is anser B 5 e tamen producta v tamen productam B
 6 series om. B, add. v 8 ut ante hic om. B 10 f aut s om. B, add. v
 12 corripitur B er syllaba terminatus om. B, add. v 13 neutris solum B
 19 similem B 23 falso] Sallust. Iug. 1 25 hic raro] Ter. Hec. I 2,100

27 compages posteriore loco om. B

dicatur, sed melius patronymicon ut sit. Legit, secutus est (*Verg. A. IX 393*). Hic et haec cognominis huius cognominis (*Verg. A. VI 383*). Piabunt, placabunt (*ib. 379*). Dira dicta quasi deorum ira (*ib. 373*). Haec tiara dicitur genere feminino (*Verg. A. VII 247*).

Aput antiquos non licebat sacrificari sine Iano et Vesta (*Iuv. sat. 5 6,386*). Coō derivativum est, ceterum principale est Cos (*Hor. sat. II 4,29*). Cyllenes, huius Cyllenes, genetivus singularis (*Verg. A. VIII 139*). In Teucros, pro Teucris, et in hoc loco solum in non pro contra positum est, sed pro pro vel circa (*Verg. A. I 304*). Hoc locum lectum est aput Ennium, sed nemo dicit hodie (*ib. 306*). | Miscellanea patella de 10 rebus variis dicitur (*Iuv. sat. 11,20*).

Nomen pro adverbio, aeternum pro aeternae (*Verg. A. VI 401*). Caput aperit, nudat (*ib. 406*). Informi limo, magno infinito (*ib. 416*). Personat, aut personare facit aut per regna sonat, de Cerbero. Cerberus dictus quasi *κροεοβόρος* (*ib. 418*). Et hos colubros et has colubras legimus (*ib. 419*). Sepultus immobilis, quasi sine pultu (*ib. 424*). Exsortes, ignaros, una pars orationis, sicut exspes (*ib. 428*). Et fortuito et fortuito dicitur. Perosus sum illam rem (*ib. 435*). Fas naturalis lex (*ib. 438*). Inamabilis, pessima (*ib.*) Suave et suadet disyllaba sunt, non, ut quidam imperiti putant, trisyllaba (*Verg. A. I 357*). Securus, contemnens Vergilius (*A. I 350*). 'Dilectus mihi est' figuratum est, hodie 'dilectus a me est' dicimus (*ib. 344*). Retexit, indicavit (*ib. 356*).

Opes, possibilitates (*Sal. Catil. 1,3*). Opus est consulto, opus est ut consulas, et sunt omnia gerundi modi (*Sall. Catil. 1,6*). Veniam, beneficium (*Hor. a. p. 11*). Geminentur, copulentur (*ib. 13*). Exlex, exspes, 25 exsors (*ib. 20*). Age adverbium est, plerumque verbum.

Struices compositiones dicuntur patinarum, unde etiam structores dicuntur (*Iuv. sat. 11,136*). Pygargus, caper cum candidis clunibus (*ib. 138*): hircitalli, *βούπαιδες*. Gaditana, Tyria, quod Gades solas Hispaniae Tyrii tenuerunt (*ib. 160*). Omnia nomina nis syllaba terminata latina 30 simplicia generis masculini sunt excepto nullo. |

Pharum genere feminino dicimus (*Luc. Phars. VIII 514*). Apis taurus dicitur apud Aegyptios, qui in pectore lunam albam habet, quae adversus lunam et crescit et decrescit (*ib. 479*). Imperatores qui vicerant honoris gratia et praemii tibicinem accipiebant, candelam et sellam curulem; 35 milites ad colonias ducebantur et territoria accipiebant. Metatores domuum dicuntur, mensores frumenti et frugum. Haec conpages dicitur, non haec conpago.

Antiqui declinabant vello vulsi, modo nemo dicit (*Verg. A. V 270*). Seminecus declinatur et ab hoc semineco his seminecis (*ib. 275*). Sensus 40 nomen, sensa participialiter, sicut sibilus et sibila (*ib. 277*). Deductum, tenue aput Vergilium (*bucol. 6,5*). Vindex, sic nomine fuit qui Neronem occidit (*Iuv. sat. 8,222*). Rapti, cursim facti. Defendo, munio.

Dapem singulariter non dicimus, sed pluraliter tantum (*Hor. c. II 7,17*). Quiritem non dicimus, sed numero plurali tantum; ceterum si 45

15 legimus] leg. B legitur v 24 consulas] consules B 26 adverbium
est est plerumque plerumque verbum B 27 patinarum] patinantur B pati-
nariae v 36 accipiebant v accipi B utroque loco 41 sibilus] sibus B

p. 208—210 V.

volueris facere nominativum singularem, erit hic Quiritis (*ib.* 3). Ab hac lauru non dicimus, sed ab hac lauro (*ib.* 19). Tesserarum apud antiquos erant varia nomina, vulturis, caniculi, Veneris; sed tamen Veneris erant optimae (*ib.* 25).

5 Canusium oppidum est Apuliae (*Iuv. sat.* 6,150). Berenice nomen sororis est Ptolemaei, quam amavit et dedit ei optimum annulum cum gemma pretiosa: exinde pretiosae gemmae Bernices appellabantur (*ib.* 155).

Cea insula est patria Simonidis, qui neniarum metrum primus scripsit (*Hor. c. II* 1,38). Perfidus est qui fidem frangit aliquotiens, perfidiosus 10 qui omnino caret fide. Apud antiquos numerus vitae dierum et qualitas numerabatur, et boni dies albis calculis signabantur, mali nigris. etiam post mortem proferebantur et numerabantur, et de bonis dicebatur 'vixit dies tot', de malis 'duravit dies tot'. haec erat consuetudo (*Hor. c. I* 36,10). Dedecet, deformat (*Hor. c. I* 38,7).

15 Gryphes, animalia quaedam in hyperboreis montibus omni corpore leones praeter os, quod habent aquilae sive accipitris, et quod pinnatae sunt (*Verg. buc.* 8,27).

Cannae Apuliae vicus est (*Luc. Phars. II* 46). Provectum, mercedem, fructum Lucanus (*ib.* 60) dicit † 'tanton provectum'. Vix tanti, vix 20 utile, Lucanus (*ib.* 62) dicit.

Cyrna, Corsica (*Verg. buc.* 9,30). Anser poeta fuit, qui Antonio laudes scribebat (*ib.* 36). 'Si valeam scribisse' nemo dicit, sed si valeam scribere, et meminere non meminisse (*ib.* 38). Insani, magni (*ib.* 43), sicut 'insanam vatem' (*Verg. A. III* 443).

25 Depositum, commendationem Lucanus (*Phars. II* 72) 'depositum fortuna'. Legibus aevi, fatali ratione Lucanus (*ib.* 82).

Latine Camilla, graece *σάμυνστις* (*Verg. buc.* 8,77). Accusativus pluralis in as exiens semper longus est: verbenas, rorem marinum (*ib.* 65). Pellexit, evocavit. Inter uvidum et umidum hoc interest: uvidus est qui 30 intrinsecus habet umores, umidus qui a foris, unde etiam uva dicta ab eo, quod intrinsecus habeat umorem musti (*Verg. buc.* 10,20). Bianor, quem dicit Vergilius in bucolicis (9,60), 'incipit apparere Bianoris', Oenus dicebatur: hic enim est qui condidit Mantuam. Gallus poeta fuit optimus: hic imperatori comes fuit Aegypti, postea amavit meretricem 35 quandam nomine Cytheridem, quam Vergilius Lycorida dicit: hanc etiam dicit Volumni cuiusdam libertam (*Verg. buc.* 10).

Omnia parent, in omnibus figura tumet. Incultus *ἀπολιτικός*. Profecto, sine dubio. Aemilium ludum, locum dicit (*Hor. a. p.* 32). Hunc, huic similem (*ib.* 35). Venus, venustas (*ib.* 42). Cinctutis, militaribus 40 (*ib.* 50).

- | | | |
|--|----------------------------|--|
| 3 uultures corr. vulturis B | 5 Berenice] uenenyces B | 7 bernycis B |
| 11 mali v malus B | 13 consuetudo v consueto B | 14 deformat v de- |
| formet B | 15 grypes B | 16 pinnatam corr. primatae B |
| 19 tanton] Luc. | | |
| Phars. II 60 tantone novorum Proventu scelerum quaerunt, uter imperet urbi | | |
| 28 as] has B | ueruenas B | 29 pellexit] Serv. in Verg. buc. 8,99 unde |
| est in XII tabulis 'neve alienam segetem pellexeris' | euocabit B | 30 intren- |
| secus utroque loco B | a fores B | 31 uianor B |
| 32 uianori B | 34 hic | |
| imperator v his imperatore B | 35 cytheride B | 36 uolumi B |

Chalcidico, Euforionio (*Verg. buc. 10,50*). Sithoniis, Thracicis (*ib. 66*). Versemus, pascamus (*ib. 68*). Parthenius, mons Arcadiae dictus a virgine Atalante, quod in illo exercebatur (*ib. 57*). Vinitor, vitium custos (*ib. 36*). Vulcanalia Vulcanalium, non Vulcanaliorum. Gradu pleno, cum cursu.

Iuvenis, adulescentibus, unde apud Graecos adulescens βούπαις⁵ dicitur (*Hor. c. II 8,21*). Macte illa re dicimus, non illius rei (*Hor. s. I 2,31*). Garganus mons est Apuliae (*Hor. c. II 9,7*). Centenos ducenos trecenos quadrigenos quingenos et deinde per omnia sic declinandum est et dicendum est, non ducentenos tricentenos (*Hor. c. II 14,5*). Caecuba vina optima dicuntur (*ib. 25*).¹⁰

Liquor, si nomen est, corripitur; si verbum, producitur (*Verg. g. I 44*). Et vomer et vomis in nominativo vario et in genetivo similiter (*ib. 46*). Veniunt, crescunt (*ib. 54*), 'veniens in corpore virtus' (*Verg. Aen. V 344*). Sabaei dicti ἀπὸ τοῦ σέβεισθαι, quod apud ipsos nascitur tus, quo deos placamus (*Verg. g. I 57*). Frictas dicimus, non frixas.¹⁵ Atrine, sicut Nerine [Regine] Galatea (*Verg. buc. 7,37*). Situm, oblivionem, in Statio (*Theb. III 100*) lectum.

Poppysma, sibilum (*Iuv. sat. 6,584*). Morbus regius dicitur ἰκτερος (*ib. 565*). Chaldaeis, mathematicis (*ib. 553*). Formidatam tabellam, pinacem (*ib. 558*). Cadurcum, fascem lecti (*ib. 537*).²⁰

Palea Virgilius singulari dixit, nos tantum numero plurali dicimus (*Verg. g. I 192*). Nux plurima, ἀμυγδαλή, quare etiam nux longa dicitur (*ib. 187*). Buris curvamentum aratri, dicta quasi βοός οὐρά (*ib. 170*) Κύλινδρον, arealem lapidem (*ib. 178*). Sublicei dicuntur pontes lignei. Ripaeis, Scythicis: dicti ἀπὸ τῆς ῥίπης, hoc est a vi ventorum²⁵ (*Verg. g. IV 518*). Denseo denses dicitur, aliter non. Rivos deducere, agros siccare (*Verg. g. I 269*). Salubris, u naturaliter longa est (*ib. 272*).

Omnes comparationes generis sunt communis excepto uno senior. Occentassere, in alios conviciosa carmina dicere. Fescennina, conviciosa (*Hor. ep. II 1,145*). Defluxit, lenitus est Horatius (*ib. 158*). Vestigia³⁰ ruris, imperitia (*ib. 160*). Lituram, emendationem (*ib. 167*). Incogitat, cogitat (*ib. 122*). Secundo pane, vili, δευτερίῳ (*ib. 123*). Obscenis, vitiosis (*ib. 127*). Valeat, pereat (*ib. 180*), 'valeant qui inter nos discidium volunt' (*Ter. And. IV 2,13*).

Ballaena, monstrum marinum (*Iuv. sat. 10, 14*). Saetinum vinum...³⁵ (*ib. 27*). Tunica Iovis, toga... (*ib. 38*) Sarrana, Tyria (*ib.*)

Compendia, via cita; dispendia, via per circuitiones difficilis (*Luc. Phars. VIII 2*). Vertigine, confusione (*ib. 16*).

Hoc caenum, hoc lutum, genere neutro dicitur (*Verg. A. VI 296*). Eructo eructas hodie neutraliter dicimus tantum, antiqui utraque dicebant,⁴⁰ et eructo et eructor, quod hodie non invenitur (*ib. 297*). Portitor dicitur proprie qui portam servat, tenet (*ib. 298*). Stant, plena sunt, horrent (*ib. 300*). Epicurei definiunt quidquid visu aut tactu subiacet, hoc corpus esse, unde et umbras corpora esse dicunt (*ib. 303*).

2 pascamus v pascemus B 14 dicti] dicto B 15 placamus v pacamus B
18 ἰκτερος v ικταρις B 30 Horatio B 35 uallena B post vinum et
post toga defectum scripturae indicaverunt editores Vindobonenses 41 portitorem B